

DE PORPHYRIO

Quicumque vitam lectitat Plotini, quam Porphyrius eius discipulus composuit, permultis locis textum huius libelli corrigere cogitur, quippe qui mendis grammaticis, intellectus nonnunquam obscuritate, erroribus palaeographicis displiceat. Nova nunc enneadum Plotini editione per viros doctos Paul Henry et Hans Rudolf Schwyzer (Parisiis, 1951) facta, etiam illa vita Plotini multis codicibus manuscriptis tam abundanter recensita videtur, ut de vitae quoque Plotini verbis multo certius quam antea queat diiudicari. Cum Porphyrius ipse optimus prosae orationis magister et artifex ac philosophus insignis fuerit, ex hac utraque ratione iam vita Plotini debet emendari. Eae denique quae infra secuntur observationes criticae secundum paginas lineasque Plotini operum primi voluminis indicantur, quod Henry et Schwyzer ediderunt.

c. 1 p. 1, 8 συγχωρεῖν <με> αὐτὸν ἀξιοῖς πολυχρονιώτερον καταλιπεῖν...

Oratio recta sententiae his verbis οὐ γὰρ ἀρκεῖ coeptae modo rectae dictioni quoque ita continuata erat, ἀλλὰ καὶ usque ad finem quaestionis... ἀξιοθεάτων ἔργων. Propterea sic emendetur oportet ut supra Graece proposui; lapsus enim ab oratione recta in obliquam formam mori Porphyrii eleganter eloquendi minime convenit.

c. 1 p. 1, 10 ἀπαγορεύοντος <αὐτοῦ>.

Subiectum genetivi absoluti est αὐτοῦ = Plotini, quod pronomen post ἀπαγορεύοντος per haplographiam (-οντος et αὐτοῦ) excidit.

c. 2 p. 2, 11 ἀποπλεύσαντος δ' ἐ<μοῦ> (=ἐμοῦ).

«Porphyrio (=ἐμοῦ) profecto» est genetivus absolutus; Porphyrius ipse (ἐμοῦ) narrat; μου pars formae ἐμοῦ post δ' ἐ per haplographiam periit.

c. 2 p. 2, 12 ὡς ἔλεγέ <μοι> ἐπανελθόντι.

μοι pertinet ad Porphyrium, quae vox ut multae aliae voces similes in hac Plotini vita festinatione et indiligentia scribae occidit; littera ν (Ny) in forma verbi ἔλεγεν est reliquum litterae μ (My) formae μοι.

c. 2 p. 2, 21 ἐκ Μηντουρνῶν. Prima syllaba Μην- scribenda est, ita etiam c. 2 p. 3, 22 ἐν Μηντούρναις et c. 7 p. 12, 23 Μηντουρνῶν; cf. RE supplementum VII 459 s. v. Minturnae.

c. 2 p. 3, 22 ad nomen Καστριχίος; cf. Gellius XI 13. XIII 22; unus ex illius Castricii maioribus doctis rhetor Hadriano tempore praeceptor Gellii ut opinor exstitit; ultro adnotandum est <τοῦ> Καστριχίου exarare oportere propter ὁ Καστριχίος et ob haplographiam post ἐκ τῶν ortam; cf. CIG 2511.

c. 3 p. 4, 12 οὐ μὴν οὐδέπω πεπεύρατο...

multis scribae omissionibus vel ad libidinem abbreviationibus respectis non μηδέπω, sed μὴν οὐδέπω proponendum videtur.

c. 3 p. 4, 17 τῆς παρὰ <τοῖς> Ἰνδοῖς...

articulus τοῖς ponendus est eodem pacto atque p. 4, 15 τῆς παρὰ τοῖς Πέρσαις legitur.

c. 4 p. 5, 2 *Antonius Rhodius* ipse simul cum Porphyrio discipulus Longini Athenis docentis fuisse videtur; ambo enim e Graecia profecti magistrum communem reliquerunt, ut opinor.

c. 4 p. 6, 20 ὥστε εὐεπίγνωστον εἶναι...

pro εἰς τὸ scribatur oportet ὥστε, locutio optimo scriptori Porphyrio congruens.

c. 4 p. 7, 66 ταῦτα μὲν οὖν <τὰ> εἴκοσι...

hic locus cum eo capitis 5 p. 10, 59 ταῦτα τὰ εἴκοσι... comparatus manifestat articulum <τὰ> supplendum esse.

c. 4 p. 7, 67 προσῆλθον <ἐγὼ> ὁ Πορφύριος...

ad primam personam verbi προσῆλθον etiam ἐγὼ addi debet, sicut saepe fit in hac vita, ubi tantumdem de Porphyrio quantum de Plotino dicitur.

c. 5 p. 8, 3 ἐγεγόνειν <ἐγὼ> ὁ Πορφύριος...

Porphyrius de semetipso loquens in vita Plotini semper prima, non tertia persona utitur; propterea ἐγεγόνειν (cum Ny) et <ἐγὼ> scribendum restat.

c. 6 p. 11, 26 ταῦτα μετὰ <τῶν> τεσσαρακονταπέντε τῶν πρώτων καὶ <τῶν πέντε τῶν> δευτέρων...

Ratione constantiae dictionis Porphyrii habita saepissime articuli suppleantur necesse est; idem auctor computandi cupidissimus rerum scriptorum antiquorum fuit.

c. 6 p. 11, 29 ἀκμάζοντος <αὐτοῦ>...

Hoc quoque loco pronomen αὐτοῦ ad Plotinum significandum addi oportet.

c. 6 p. 11, 29-30 οὕτω καὶ <κατὰ> τῆς δυνάμεως...

per haplographiam κατὰ post καὶ excidit; de varia gravitate dicendi librorum Plotini diversis philosophi temporibus vitae agitur.

c. 7 p. 11, 1 ἀκροατὰς μὲν πλείστους...

opponuntur inter se ἀκροαταί et ζηλωταί; quia complures iam assecutores constantes studiosique (ζηλωταί) nominatim afferuntur, tamem auditores fortuiti (ἀκροαταί) permulti fuisse dicuntur, ut ex cap. 7, p. 13, 30 οὐκ ὀλίγοι (=figura λιτότητος) confirmatur.

c. 7 p. 11, 4 Ἄμεριον αὐτὸν καλεῖν ἡξίου <μᾶλλον> ἀπὸ τῆς ἀμερείας ἢ τῆς ἀμελείας...

propter particulam comparativam ἢ addendum <μᾶλλον> videtur.

c. 7 p. 12, 14, τὸν Ἀτλαντικὸν εἰς ποιήσιν μετέβαλε πάνυ πολιτικῶς...

non ποιητικῶς, sed πολιτικῶς scribendum esse evidens est; nam dialogum Platonis «Critiam» in formam poeticam (=ποιήσιν) solum mediis modisque poeticis redactum esse, per se perspicuum et superfluum erat pronuntiare; immo necesse erat modum poetice redigendi iudicare: id est πολιτικῶς = polite atque erudite.

c. 7 p. 12, 16, ἔφθασε... Παυλῖνος ἀποθανῶν τὸν Πλωτῖνον...

non προαποθανῶν, sed tantum ἀποθανῶν exhibendum est; etenim pro- tamquam dittographia syllabae ἀπο- recognosci potest, ut deleatur et accusativus τὸν Πλωτῖνον dependens a verbo ἔφθασε reponatur.

c. 7 p. 12, 20-21, non est credere Porphyrium bis idem eodem fere loco dixisse πολιτικὸν ὄντα... ῥοπὰς ἔχοντα πολιτικὰς...; ideo πολιτικὰς in πολεμικὰς mutandum propono.

c. 7 p. 12, 25, φιλοκαλώτατος γεγονῶς καὶ <δίκαιος> τὸν τε Πλωτῖνον... adiectivum quoddam ante τὸν excidisse opinor et <δίκαιος> supple- re conor.

c. 7 p. 12, 26, οἶον οἰκέτης...

corrigo οἶα in οἶον hiatus vitandi causa; etiam id verisimile credo sequens οἶα γνησίῳ, quod recte se habet, retrograde prius οἶον, ut in οἶα mutaretur, scribam perduxisse.

c. 7 p. 13, 31 Μαρχέλλος <ὁ> Ὀρόντιος καὶ Σαβινίλλος.

Marcellus ille senator cognomen <Orontius> fortasse e flumine Oronte Asiatico accepit. Idem Marcellus c. 20 p, 26, 17 occurrit.

c. 7 p. 13, 32 Rogatianus senator commemoratur a Porphyrio etiam in opere «de abstinentia» I p. 127, 16 - 19 Nauck.

c. 7 p. 13, 35 ἀποβῆναι δὲ καὶ τοῦ ἀξιώματος...

non ἀποστῆναι agnoscimus, sed ἀποβῆναι scribimus, rati posterius ἀποστῆναι negligentia et inertia scribae ortum, qui prius ἀποστῆναι simpliciter repetivit; cf. abire magistratu.

c. 7 p. 13, 37 μηδὲ <τὴν> οἰκίαν ἑαυτοῦ ἐλέσθαι κατοικεῖν...

de certa domo propria Rogatiani agitur, quamobrem articulus τὴν ponatur oportet.

c. 7 p. 13, 39 φοιτᾶν τε ἐκεῖ τε δειπνεῖν κάκει καθεύδειν...

infinitivus φοιτᾶν postulatur ac facile restituitur, ne constructio participii μέλλων (linea 36) levi quadam inconstantia deleatur.

c. 7 p. 13, 49 μὴ δυνηθεῖς ἀποστροφῆναι ἐλαττώματος.

ter ἀποστῆναι in eodem capite contra virtutem dicendi Porphyrii pugnat; verisimile est ἀποστ<ροφ>ῆναι scriptum esse.

c. 9 p. 14, 1 γυναῖκας <τὰ> σφέτερα προσκειμένας...

illae feminae apud Plotinum versantes rem familiarem (τὰ σφέτερα) secum habebant vel in eas aedes contulerant, ubi cum philosopho habitabant.

c. 9 p. 14, 5 σφόδρα φιλοσοφία προσεσχημένας...

illae tres feminae acriter philosophiae Plotini operam dabant; in his ambobus locis neque bis σφόδρα neque bis προσκειμένας tolerari potest; qua de causa primo τὰ σφέτερα, post προσεσχημένας scribi praestabat.

c. 9 p. 15, 9 ὡς ἱερεῖ τινι καὶ θείων φύλακι.

viri mulieresque multi brevi ante mortem filios filiasque una cum

reliqua re familiari Plotino tamquam sacerdoti et divinarum rerum custodi offerebant.

Plotinus autem, qui neque sanctus neque divinus erat, a scriba quodam tanta dignitate litteris ἱερεῖ in ἱερῶ et θεῶν in θεῶν leviter mutatis affectus est; tautologia quaedam esset simul ἱερός et θεῖος.

c. 9 p. 15, 11 qui locus valde corruptus ita corrigendus videtur:
...Πολέμων οὐ τῆς παιδείσεως φροντίζων πολλά <μαθήματ' αὐτὸν ἦσ>κησεν καὶ μέτρα ποιῶντος <αὐτοῦ> ἠκροάσατο.

c. 10 p. 17, 38 ἐρέσθαι τετολμήκαμεν.

perfectum τετολμήκαμεν pro ἐτολμήσαμεν, propter illud antecedens δεδυνήμεθα et hiatus fugiendi gratia (—σθαι ἐτολ—), praetulimus.

c. 11 p. 17, 1 περιουσία <τῆς τῶν> ἡθῶν κατανοήσεως...

articuli τῆς τῶν similiter atque ἡθῶν sonantes suppressi necessario adduntur.

c. 11 p. 17, 15 ἀποδημησαί <με> ἐκέλευσε.

perspicuitatis causa με (=Porphyrium) inserendum videtur, quod pronomen per scribae indiligentiam crebrius omittitur.

c. 13 p. 18, 2 εὐρεῖν <δεινός> καὶ νοῆσαι...

ut ad φράσαι adiungitur ἱκανός et ad νοῆσαι additur δυνατώτατος, ita ad εὐρεῖν quoque adiectivum potentiae apponendum censeo, quod δεινός hic optimum apparet.

c. 14 p. 19, 1 ἐν δὲ τῷ γράφειν σύντονος γέγονε...

scribendum est σύντονος, quod idem valet ac τοῦ νοῦ ἐχόμενος (c. 8 p. 14, 6); falsum est σύντομος, quod par est ac sequens illud βραχύς; ad res et sententias pertinet σύντονος; ad dicendi genus autem spectat σύντομος; cf. Iamblichus: de Pythagorica vita c. 26 p. 246 (ed. M. Theophil. Kiessling, Lipsiae 1815): ἐν φροντίδι ποτέ καὶ διαλογισμῶ συντεταμένῳ in meditatione et cogitatione conci-

tata (=intenta) versans. Cf. Paul Hanschke: de accentuum Graecorum nominibus (Bonnae 1914) 32-33; cf. Galenus 17 B 171 φροντὶς σύντονος; Sopatros: Rhet. Graeci V 6, 5 Walz. Hermes 37 (1902) 569, 1.

c. 14 p. 19, 3 φράζων καὶ <μᾶλλον ἐπεμελεῖ> το συμπαθείας...

illa verba ἐνθουσιῶν et ἐκπαθῶς φράζων monstrant Plotinum magis affectibus excitandis quam doctrinis tradendis studuisse.

c. 14 p. 19, 8 οὔτε γεωμετρικόν τι λεγόμενον θεώρημα οὐκ ἀριθμητικόν...

post οὔτε enumeratio negativa particulis ὄχ... οὐκ per figuram anaphorae (non... non...) continuari potest.

c. 14 p. 19, 11 ὑπομνήματα <τῶν Πλατωνικῶν> εἴτε Σεβήρου...

philosophi Severus, Kronius, Numenius, Gaius, Atticus erant Platonici; quia postea Peripatetici nominantur, secta *Platonis* antecedentes doctores distinguendi sunt.

c. 14 p. 20, 19 Φιλάρχαιος erat inscriptio libri, quem Longinus composuit; ob id opusculum Longinus philologus existimabatur; propter librum περὶ ἀρχῶν Longinus philosophus agnosci debebat; sed Plotinus invidia odioque quaedam affectus Longino obtrectabat.

c. 15 p. 20, 1 ἐν <τοῖς> Πλατωνείοις...

dies festus, quo memoria Platonis celebrabatur, semel in anno die Platonis natali, tempore igitur certissimo habebatur; propter hoc articulus τοῖς addendus est.

c. 15 p. 20, 2 διὰ τὸ μυστικῶς πολλὰ μετ' ἐνθουσιασμοῦ ἔτι κεκρυμμένως εἰρησθαι...

scribi verisimillimum esse cuilibet apparet ἔτι, non ἐπί; «insuper» post duo adverbia significat ἔτι; quo loco tria dicendi genera in carmine Porphyrius ipse adhibuisse videtur: μυστικῶς ut ἱεροφάντης, μετ' ἐνθουσιασμοῦ ut ποιητής, κεκρυμμένως ut φιλόσοφος.

c. 15 p. 21, 22, προσείχε., τοῖς... κανόσιν οὐ πάντη μαθηματικῶς...

forma πάνυ τι codicibus tradita errorem prae se fert: τι erat τη, et υ est tamquam dittographia litterae ν; itaque πάντη (=prorsus) vera scriptura confirmatur.

c. 16 p. 21, 15, ὁμῶς νόθον τε καὶ νέον τὸ βιβλίον παραδεικνύς...

Porphyrus multis argumentis demonstravit librum Zoroastri simul (ὁμῶς) spurium et recentem esse...

c. 17 p. 22, 3, Τρύφωνος τοῦ Στωϊκοῦ τε καὶ <Εὐβούλου τοῦ> Πλατωνικοῦ...

concedere nequimus unum eundemque Tryphonem et Stoicum et Platonicum, id est, amphibium philosophum fuisse; idcirco nomen Platonicum interisse reamur quem e cap. 15, p. 21, 18, Eubulum Atheniensem Platonicum suspicamus; cf. c. 20, p. 27, 41.

c. 17 p. 22, 6 αὐτὸ <τῷ> Βασιλεῖ ἐμοί...

ut in sequenti nomine τῷ Πορφυρίῳ ἐμοί, articulus etiam ante Βασιλεῖ poni debet, qui post αὐτὸ per haplographiam interiit.

c. 17 p. 22, 7 κατὰ μὲν <τῆν> πατριον διάλεκτον.

solummodo una dialecto in urbe, Tyro regnante, articulus definitus <τῆν> adhibendus est.

c. 17 p. 22, 14 οὕτω τὸν Μάλχον δεόντως εἰς τὸν Βασιλέα γράφει...

non οὕτως post Μάλχον, sed δεόντως (=necessario) in sententiam quadrat; οὕτως contra relate ad Amelium (=subiectum) longius a subiecto abest ac superfluum videtur.

c. 17 p. 23, 23 τὰ φαυλότατα τῶν <δοκ>όντων ὑποβαλλόμενος...

cum verba τῶν ὄντων intellectu careant, doctrina vero postuletur, restat, ut τῶν δοκόντων in textu ponamus; cf. c. 20 p. 27, 26 τὰ δοκοῦντα.

c. 18 p. 24, 2 γεγονότας τὰ τοῦ Νουμηνίου...

hoc modo locus simpliciter supplendus est, quod articulus τὰ post -τας per haplographiam sublatus est.

c. 18 p. 24, 3 ὑποβαλλόμενον <αὐτὸν> κομπάζειν...

addatur oportet αὐτὸν (= Plotinum) evidentiae causa, ut patet ex initio capitis 17 p. 22, 1 αὐτὸν (=Plotinum) ὑποβάλλεσθαι.

c. 18 p. 24, 23 ἀλλὰ καὶ <κατ'> Ἀμελίον εἰς τὸ συγγράφειν πρόθυμον <αὐτὸν> ἐποίησα.

eum (= Plotinum = αὐτὸν) Amelio interprete et intercedente propensum et promptum ad scribendum feci.

c. 19 p. 24, 3 μέρος ἐπιστολῆς γραφείσης πρὸς ἐμέ <τὸν Πορφύριον> ἔχον τοῦτον τὸν τρόπον.

syllabam falsam ἐπ- ante ἔχον dissolvo haec in verba: Πορφύριον, id quod maxime ad intellectus sententiae perspicuitatem conducit; π forte erat abbreviatio nominis Πορφύριον.

c. 20 p. 27, 36 Ἡλιόδωρος <καὶ Προσηγῆς ὁ Ἀθηναῖος>. Τοῦ δὲ δευτέρου...

ad singulas philosophorum scholas saltem duo viri nominatim adiunguntur, ille Prosenes Peripateticus apud Eusebium Praep. Evang. X 3 commemoratur.

c. 20 p. 28, 71 Ἀμέλιος <ἐκεῖν>ος μὲν τὰς...

Plotinus significatur voce ἐκεῖνος μὲν, opponitur (p. 29,76) ὁ δὲ Ἀμέλιος...

c. 20 p. 27, 21 οὐκ ὀλίγοι τῶν ἐν φιλοσοφίᾳ λογίων προέστησαν...

pro λόγων scribendum est λογίων; λόγοι enim docti sunt et bene instituti; Aristoteles ipse discipulos suos λογίους appellabat, ut Strabo XIII 919 refert; cf. EMIL ORTH: Logios (Lipsiae, 1926)

s. v. Strabon; οὐκ ὀλίγοι postulat genetivum hominum, ut supra c. 7 p. 13,30. προέστησαν (=absolute) excellabant.

c. 20 p. 27, 25 συχνοῖς ἔθνεσι καὶ <πολλαῖς> πόλεσιν...

tamquam haplographia πολλαῖς ante πόλεσιν periit.

c. 21 p. 30, 12 ὁμῶς μνησθεῖς...

non de oppositione agitur, sed Amelius et Porphyrius aequo tempore, ordine, valore iuxtaponuntur; cf. ὁμῶς c. 16 p. 21, 15.

c. 23 p. 34, 17-18 ἐνεργεία ἀρρήτων καὶ οὐ δυνάμει <προφανεῖ>. Καὶ ὅτι...

adiectivo ἀρρήτων correspondet alterum οὐ... προφανεῖ, quod similiter desinens ac δυνάμει tamquam homoioteleuto perisse videtur.

c. 23 p. 35, 35 οἷς καὶ οἱ ἄλλοι θεοὶ ἀρέσκουσι σύνεισι δὲ τούτοις Πλάτων...

Plotinus mente extra sese elatus etiam iudices inferorum intuitus est: Minoa, Rhadamanthyn, Aeacum, filios deorum, quibuscum ceteri dei quoque colloqui solent (=ἀρέσκουσι); cum his deis (et deorum filiis) etiam Plato, Pythagoras, Socrates... conveniunt...

c. 23 p. 35, 36 Πλάτων, Πυθαγόρας, <Σωκράτης> ὁπόσοι τε...

ut tres deorum filii nominantur Minos, Rhadamanthys, Aeacus, ita haud scio an tres philosophi illis opponantur: Plato, Pythagoras, Socrates (ut equidem divino); cf. c. 2 p. 3, 40 ubi Plotinus Platoni et Socrati sacrificans narratur; cf. Cicero Tusc. III 17 V; 10.

c. 24 p. 36, 9 εἰς δέκα τόμους ἐφορῶν συνήγαγεν...

Apollodorus Atheniensis comoedias Epicharmi critice examinans et recognoscens (=ἐφορῶν) in decem volumina collegit.

c. 24 p. 36, 11... διεῖλε τὰς οἰκείας ὑποθέσεις εἰς ταῦτ' συναγαγών...

Andronicus Rhodius scripta Aristotelis et Theophrasti ita distinxit, ut eos libros, qui unicuique utriusque philosophi proprii erant,

in eundem modum (εἰς ταὐτό), id est: critice examinans et recognoscens (=ἐφορῶν) in formam magnorum tractatum colligeret; εἰς ταὐτό idem est atque κατὰ ταὐτό c. 20 p. 27, 24, ταὐτό sine ν (Ny) scribendum est.

c. 24, p. 36, 36, περιέχει <τὰς> ἡθικωτέρας ὑποθέσεις...

articulus τὰς poni debet ut c. 24, p. 36, 16, ἔχει τὰ ἡθικώτερα.

c. 24, p. 37, 37, παραλαβοῦσα scribendum esse censeo, non περιλαβοῦσα, postquam περιέχει praecessit; bis eadem praepositio περι-adhiberi non sinitur.

c. 25, p. 38, 11, εἴληφε ponendum est, non εἴληχε; nam εἴληχε (sortiri) hoc loco non valet eo quod non de homine agitur; φ et χ scriba facile confundere et commutare poterat.

c. 25, p. 39, 31, τὰς περι <τῆς> φυγῆς αὐτῆς ὑποθέσεις...

quia non iam inscriptio ipsa libri, sed res de qua liber egit, indicatur, articulus addendus est.

c. 25, p. 39, 32, ὑποθέσεις ἔσχηκε πάσας.

perfectum indicans ad conspectum summae et periochae enneadis adhibetur ut e c. 24 p. 37, 59, et e c. 25 p. 38, 11, elucet; ideo ἔσχε scriptio fugax et obliviosa scribae habenda et reiectanea est.

c. 26 p. 40, 2 εἰς ἓν σομᾶτιον καταπλέξαμεν.

quartam et quintam enneada Plotini simul in unum volumen complexi sumus; ergo καταπλέκειν (inserere), non καταλέγειν (enumerare) adhibere consentaneum est.

c. 26 p. 40, 3 ὡς διὰ τριῶν σοματίων <συγ->γεγράφθαι τὰ <τοῦ> Πλωτίνου πάντα...

suspicio compositum συγγεγράφθαι scriptum esse sicut c. 18 p 24, 23; articulus τοῦ apud nomen proprium apponi solet.

c. 26 p. 41, 33 τὰ κεφάλαια τῶν <τοῦ Πλωτίνου> πάντων...

ante πάντων excidisse Πλωτίνου verisimile est; cf. c. 26 p. 40 4.

c. 26 p. 41, 38 προστιθέναι scribatur necesse est infinitivus praesentis, qui correspondet infinitivo praesentis διορθοῦν; non est cur infinitivus aoristi προσθεῖναι ponatur; illam tam brevem syllabam τι scriba indiligens non curabat.

Non autem omnia, quae in textu vitae Plotini observavi, commentariis meis supra expositis communicavi; eadem vero vitia grammatica et palaeographica vitae Plotini etiam in enneadum verbis reperiri sapienti manifestum est, quia vita Plotini eiusque enneades semper continuo fere ab iisdem scribis tam saepe erroneis descriptae sunt. At Plotini verba corrigere ob eam causam est difficillimum, quod ex eius textu (ἀπὸ φωνῆς τοῦ Πλωτίνου) ubique Porphyrius quoque, redactor Plotini, loquitur; et analysis vocis (Schallanalyse) propter diversas nationes horum duorum philosophorum Plotini et Porphyrii ad Plotini verba genuina eruenda vix potest adhiberi.

EMIL ORTH